



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii  
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,  
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,  
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1740**

§. III. Quibus modis Votum obligare casset?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](#)

quæ DEO per votum promittimus, eo fine promittimus, ut eum honoremus. S.Thomas 2.2. Q.88. art. 5. C. Mensura hujus obligationis est ipsius votentis voluntas, ita, ut neque plus, minusve, neque aliud, neque alio loco, modo, aut tempore præstare teneatur, quam quod ab initio concipiendō votum intedit, & voluit præstare, juxta illud Deuter. cap. 23. v. 23. Facies, sicut promisisti Domino DEO tuo, Et propria voluntate, Et ore tuo locutus es. Ratio est, quod votum habeat

se instar legis *private*: sicut ergo lex *publica*, ejusque obligatio dependet à voluntate Principis legem condentis; ita votum obligationem suam derivat ex voluntate voventis. P. Wiestner b.t. num. 23. P. Marin. dīct. tract. disput. 3. fct. 2. num. 33. Castropal. dīct. disput. punc. 12. num. 1. Cætera, quæ ad obligationem voti pertinent, ex prænominatis AA. aliisque Theologis pertenda sunt. Nos pauca adhuc in §. seq. subjiciemus.

### §. III.

#### *Quibus modis Votum obligare cesset?*

#### S U M M A R I A.

- 35. Quatuor modis voti obligatio cessat. 36. Si materia voti cessa<sup>t</sup>, quod multifariam contingere potest. 37. Item per irritationem. 38. 39. 40. Quod variis exemplis explicatur. 41. Solvitur etiam per dispensationem. 42. Quæ respectu S. Pontificis est illimitata. 43. Episcopis; aliisque Prelatis limitata competit. 44. Vota S. Pontifici reservata enumerantur. 45. Dispensatio fieri debet ex causa rationabili, secus dispensato pro foro interno non proficit. 47. Denique tollitur obligatio voti per commutationem. 48. Quod fit vel in opus melius. 49. Vel æquale. 50. Nonnunquam etiam in minus bonum. 51. Bœhmeri exceptiones referuntur. 52. Quoad translationem corporis S. Jacobi Compostellam refellitur.

35 **Q**uartuor potissimum sunt modi, quibus votum aut omnino obligare definit, aut in aliud opus, quam quod fuerat promissum, commutatur. I. Si materia voti deficiat. II. Si à superiore irritetur. III. Si in illo legitime dispensetur. IV. Per commutationem, quæ juxta Rubricam b.t. redemptio voti indigitatur, ut si operi promisso aliud substituatur, v.g.

peregrinatio certa pecunia<sup>æ</sup> quantitate redimatur.

Primo modo voti obligationem cessare contingit, quando vel cessat causa finalis, ob quam factum est, ut si vovisti peregrinationem pro imprestantia filii sanitatem, isque ante peractam peregrinationem moriatur, liberatus es ab obligatione voti. Castropal. punc. 20. n. 1. Giribaldus d. tract. 7. cap.

*cap. 6. dub. 1. num. 1.* aut si opus DEO promissum propter quasdam circumstantias illicitum, vel melioris boni impeditivum, vel omnino indifferens, atque adeo DEO non amplius gratum reddatur. Zoësius *b.t. num. 67.* aut denique si materia voti tam notabiliter mutetur, ut ejus adimpletio vel physique, vel moraliter impossibilis fiat, ut peregrinatio v.g. propter morbum aut eleemosyna propter supervenientem egestatem, ratio est, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem *l. 19. C. de R. C.* non censetur autem intentio voventis fuisse, quod velit manere obligatus etiam pro casu supervenientis notabilis mutationis, & ubi res missa redditur impossibilis. Quodsi tamen rei missa pars una adimpleri possit, parte altera impossibili reddit, tunc votens faltem ad partem possibilem tenebitur, modo tamen materia voti sit *dividua*, ne utile per inutile vitietur *cap. 36. de R. J. in 6.* nisi forte pars impossibilis à votente principaliter, pars possibilis accessorie duntaxat fuisse intenta, quo casu principale traheret ad se accessorium. Zoësius *b.t. num. 14.* sin vero materia voti fuerit *individua*, tunc parte una impossibili facta, non tenebitur votens ad possibilem, nisi alia fuerit voventis intentio, ex qua hæc omnia potissimum dependent. Exempla dabit Palao *d. disput. 1. punct. 8. §. 1. num. 10.*

*37 II.* Tollitur obligatio voti per *irritationem*, quæ fit ab illo, sub cuius potestate votens existit. Hanc potestatem omnes illi habent, à quorum imperio aliorum voluntates dependent, vel *absolute & simpliciter*, ut Re-

ligiosi respectu sui Prælati, filii impuberis respectu patris, vel tutoris: vel *secundum quid*, in quantum nimirum non possunt præjudicare juri illius, cui subsunt, ut est voluntas mulieris respectu mariti, filiifamilias, vel servi respectu patris, aut domini. Unde

Sequitur I. Prælatos Regulares posse absolute & simpliciter irritare omnia vota suorum Religiosorum, excepto voto transeundi ad Ordinem strictiorem *cap. 18. de Regular.* S. Thom.

*2. 2. Q. 88. art. 8. ad 3. P. Marin. dict. disput. sect. 2. n. 33. Corvinus d. tit. 10. num. 96.* Hanc tamen potestatem non posse extendere ad Novitios probabilius judico cum Pistachio *tract. de Vot. part. 2. tract. 9. cap. 2. n. 15.* eo, quod

Novitii sint adhuc sui juris, nec Prælatus in illos potestatem dominativam habet. Potest tamen Prælatus vota Novitiorum *personalia* suspendere, si forte præjudicarent statutis Religionis, aut exercitia Novitiorum propria impidirent, idque tum ex potestate jurisdictionis, quam in Novitios habet; tum etiam, quod eiusmodi vota pro tunc essent impeditiva majoris boni. Dixi tamen, *suspendere posse*, & ideo, Novitio ad sæculum redeunte, rursus reviviscet obligatio, isque votum exequi tenebitur. Addo alteram limitationem ut, si Novitus emittat vota tempore Novitatus adimplenda, ea superior omnino irritate possit, quia Novitus quæ talis consideratur inflar impuberis in suis operationibus à paterna voluntate dependentis. P. Marin. cit. loc. *num. 49.*

Sequitur II. Vota impuberum quæcunque à patre, vel eo mortuo, à tutori, vel in defectum utriusque à ma-

O o

tre

tre tutrice irritari posse per cap. 14. C. 32. Q. 2. cap. 1. § 2. C. 20. Q. 2. Ratio est, ut eorum imbecillitati succurratur, quia non præsumuntur habere judicium adeo firmum, ut gravitatem voti expendere valeant; ideoque ne imprudenter se votis adstringant, ipsum jus naturæ, & LL. positivæ catenus prospexere, ut omnia illorum vota subderentur potestati eorum, quibus ipsi subsunt. P. Marin. cit. loc. num. 79. § 80. Pistach. dict. cap. 2. num. 3. Corvinus num. 88. Vota vero puberum non alia irritare potest pater, quam quæ patriæ potestati præjudiciora esse queunt. V.g. longæ peregrinationis. S. Thom. cit. quæst. artic. 8. ad 2. Pistachius num. 3. § 4. Corvin. num. 90.

**40** Sequitur III. Non omnia uxoris vota à marito irritari posse, sed duntaxat illa, quæ usui matrimonii, educationi prolixi, aut domesticæ gubernationi præjudicare possunt. Ita Palao disput. 2. punt. 6. num. 2. cum pluribus aliis. Ratio est, quod subjectio, quam debet uxor marito, ex contractu matrimonii oritur, consequenter ad alias actiones non est extendenda, quam quæ substanti fini matrimonii. Absolutam potestatem irritandi vota uxoris concedunt marito complures, quos refert, & sequitur Pistachius de Vot. tract. 9. cap. 6. num. 2.

**41** III. Obligatio voti tollitur per dispensationem. Est vero dispensatio actus jurisdictionis spiritualis, quo aliqui, quod ex voto debebat, nomine DEI remittitur, & obligatio relaxatur. Palau d. disput. 2. punt. 9. n. 1. Corvinus d. tit. 10. num. 104.

Potestas dispensandi principaliter<sup>41</sup> residet in S. Pontifice, qui vota, quæcunque demum, relaxare potest. Ita habet perpetuus usus Ecclesiæ, & colligitur ex potestate illimitata Petro, & ejus legitimis successoribus à Christo concessa illis verbis Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis &c.* Palau d. l. n. 2. Zoësius b. t. num. 73.

Competit etiam facultas dispensandi Episcopis, aliisque Prælatis jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, sed limitata, & ad vota duntaxat simplicia, eaque non reservata restricta cap. 1. b. t. Zoësius d. t. num. 74. Parochis, aut aliis Prælatis Episcopo inferioribus hæc potestas non competit, nisi eam vel ex privilegio speciali, vel legitima consuetudine, aut præscriptione acquisiverint. Corvinus d. l. num. 111. Prælati tamen Regulares, cum jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos Regulares habeant, cum iis in votis dispensare possunt, non etiam Abbatissæ, aliaeque Monialium Præpositæ, quia jurisdictionis spiritualis capaces non sunt cap. 10. de Penit. § remiss. Vid. Pistach. tract. 10. cap. 3. num. 13. § 30. § per tot.

Vota S. Pontifici reservata sunt<sup>44</sup> quinque, videlicet I. votum perpetua castitatis. II. Ingrediendi Religionem. III. Visitandi limina Apostolorum. IV. Peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam. V. Votum ultramarinum, sive peregrinatio in terram sanctam cap. 8. § 9. b. t. Extravag. 5. de Penit. § remiss. inter commun. Ratio cur in his votis dispensare nequeant, illa

ista redditur, quod prædicta vota cæteris graviora æstimentur, causæ vero graviores Sedi Apostolicæ reservantur cap. 3. de Baptism. cap. 3. C. 2. Q. 6. Gonzalez ad d. cap. 3. num. 1. dantur tamen casus, in quibus vota S. Pontifici reservata ab Episcopis relaxari possunt, de quibus prolixe Palaus d. disput. 2. pñct. 12. Pistachius d. tract. 10. cap. 6. per tot. Barbos. de potest. Episc. part. 2. allegat. 37. per tot.

45 Quo vero dispensatio subsistat, ipsumque dispensatum in foro conscientiae tutum reddat, debet illa ex causa justa & rationabili esse impedita; cum enim dispensare in votis sit donare rem DEO debitam, ideo nec S. Pontifex sine causa probabili, & præsumpta voluntate DEI jus DEO per votum quæsumum tollere potest. Censentur autem causæ dispensandi esse Levitas, præcipitania voventis, improvisa imbecillitas, periculum, exequendi difficultas cap. 1. h. t. necessitas, vel utilitas publica; ut colligitur ex cap. 7. § 9. h. t. ut si unicus haeres splendidae cujusdam familie votum castitatis emiserit. Et haec dispensatio plerumque in majoribus votis necessaria est, ubi commutatio commode fieri nequit, eo quod vix aliud æquivalens substitui valeat. Potest tamen etiam hoc casu aliquod opus bonum voventi, cum quo dispensatur, loco voti peragendum imponi. Interim, an adhuc causa justa & legitima dispensandi, nec ne, hoc totum prudentis judicis arbitrio definiendum relinquitur. Panormit. ad cap. 1. h. t. num. 2. Zoëf. b. t. n. 77.

47 IV. Voti obligatio tollitur, vel potius innovatur per commutationem,

quando nimis loco operis, vel rei voto promissæ aliud opus substituitur, ex quo apparet differentia commutationis à dispensatione voti, quod per hanc obligatio omnino tollatur, per illam vero solummodo materia alia supponatur, manente semper eadem obligatione. Pistach. tract. 11. cap. 1. num. 2.

Votum potest commutari in opus 48 melius, in æquale, & in opus minus bonum. Pistach. cit. cap. num. 1. In melius fieri dicitur, quando vovents pro opere promissæ utilius, DEOque gratius præstare paratus est, & tali modo quisque sibi sua unius auctoritate votum commutare potest. cap. 4. h. t. Non enim promissum aut propositum infringit (ait Gregorius in cap. 3. de Jurejur.) qui in melius illud commutat. & quidem per ingressum in Religionem (quo opere aliud melius non censetur) aliquis ab omnibus votis prius, vel etiam tempore Novitatus editis ipso facto, & sine alia intentione liberatur d. cap. 4. h. t. etiamsi foret votum compatibile cum statu Religioso, ut jejunandi certis diebus, vel simile, quia sufficit sustinere onus Religionis, & ejus institutum observare, & cum Religionis observantia ad totam vitam extendatur, vota particula ria censentur omnia in votis Religionis contineri, excepto casu, quo tertio jus jam perfecte quæsumum esset v. g. Ecclesiæ, cui quis certam quotam pecuniariam se donaturum vovisset. S. Thom. 2.2. Q. 88. art. 12. ad 1. Eximus P. Joan. Evangel. Rottner. in Margarit. cœlest. Quest. 7. art. 3. num. 598. In dubio, quando non constat, num opus substituendum melius, DEOque

gratius sit, authoritas Episcopi intervenire debet. cap. 1. & ibi DD. b. t.

49 Secundo potest fieri commutatio in opus æquale, hoc est, in opus DEO æque acceptum & gratum, quia tali modo, cum unum ac alterum opus DEO æque placeat, non potest dici solutionem fieri invito creditori, debet tamen intervenire auctoritas Prælati tanto magis, quanto facilius errari potest circa judicium in substituendo opere æquali, cum sepe plures materiæ æquales appareant, quæ tamen perensis omnibus æquales non sunt. Pistach. cap. 3. num. 3. S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 12. C. quod confirmatur ex cap. 1. b. t. ubi auctoritas Prælati requirit ad dignoscendum, an res sit gravior DEO: ergo multo magis requiritur, quando res non est melior, sed æqualis. Dissentunt plures à Pistachio relati d. l. n. 2.

50 In opus minus bonum fieri commutatio potest, ex justa causa, & accedente autoritate Prælati potestatem dispensandi habentis, quia in simili casu sit partialis dispensatio. Pistach. cap. 4. num. 1. § 2. Cæterum commutations votorum, quæ fiunt tempore jubilæi, hic non attingimus. Plena manu de iis tractarunt Gobat in tratt. de Jubilæo. Pistachius tratt. 11. cap. 5. § 6. ad quos lectorem remittimus.

51 Quid de hac potestate dispensandi, commutandi, & reservandi vota censet Bæhmerus? Potestatem dispensandi, vel redimendi vota tanquam ex veteri lege sine lege ad Sacerdotes novi foederis traductam reprobat s. 18. b. t. reservationem illorum quinque votorum, quæ supra commemoravimus,

esse novicris instituti, § ex superstitione recenti ori nata assertit s. 26. b. tit. cum prius vero votum peregrinationis Compostellanæ, ejusque reservacionem Iudibrio habet, ex eo, quod fabula sit, Corpus S. Jacobi Minoris in Compostellana Sede Metropolitanâ requiescebat, unde ipse Tillemontius, ait, celebris ex nostris Historiographis, ut si dem huic fabula faceret, ad miracula, quibus DEUS hanc peregrinantem devotionem crebrius jam honoravit, confugere necesse habuit. Similiter redemptionem voti ad limina Apollinarum Petri & Pauli quæ à S. Pontifice petenda est, exhibitat, & familiari Lutheranis Sarcasmico Mysterium iniquitatis indigitat, s. 27. § seqq. eo quod tales redemptions Aulæ Romanae admodum utiles & proficiæ, ac quæstusos sint, & quanquam pro ejusmodi dispensationibus quæ tanquam merx venalis à quæstoribus ad hoc negotium deputatis exponuntur, revere pretium solvatur, Simoniacam tamen labem ab hac nundinatione procul abesse credunt, quia id, quod solvit, eleemosyna, non pretium esse singitur, & præterea ex pio affectu solvit, in finem bonum, in utilitatem Ecclesie, & quæ sunt alia involucra, quibus hoc commercium tegi solet. Hæc & plura alia illoto ore evomit Bæhmerus.

Ad putidas has Objectiones dissiendas argumentorum arietem admovere opus haud est, ipsa stili acrimonia, maledictionumque fanies impostorem hunc satis refellit. Unum tamen dissimulare nequeo, quod Bæhmerus translationem Corporis S. Jacobi Apostoli ad Compostellanam Seden Metropolitanam pro Fabula ab eru-

eruditis habeti confidenter asserere au-  
dit. Ubi sunt illi erudit? nominen-  
tur, proferantur illorum argumenta.  
Hoc scio, inter Anthores controver-  
sum esse, & in utramque partem acri-  
ter disputari, an *S. Jacobus Major* un-  
quam in Hispanias penetraverit, ibique  
Evangelium Christi gentibus prædica-  
verit; alterum vero, quod sacra hu-  
jus Apostoli exuviae, sive reliquiae  
in Compostellana Ecclesia reconditæ  
sint, nostris Scriptoribus indubium est.  
Ita habet Martyrologium Romanum  
ad diem 25. Julii: *Sancti Jacobi Apo-*  
*stoli, Fratris Joannis Evangelistæ, qui*  
*prope Festum Paschæ ab Herode Agrippa*  
*decollatus est. Ejus sacra Ossa ab Je-*  
*rosolymis in Hispanias hoc die translata,*  
*& in ultimis earum finibus Gallæiam*  
*recondita, celeberrima illarum Gentium*  
*veneratione, & frequenti Christiano-*  
*rum concurso Religionis, & voti causa*  
*illuc aduentum, pie coluntur.* Idem  
habet Notkerus, S. Galli Monachus,  
Sæculi IX. scriptor in Martyrologio ad  
eundem diem 25. Julii, ubi translatio-  
nem Reliquiarum hujus S. Apostoli ad  
Sedem Compostellanam extra dubium  
collocat, ipsam vero gentium in illis  
terris conversionem per *S. Jacobum*  
factam duntaxat probabiliter enuntiat,  
ut probe advertit Alexander Natalis  
*Histor. Eccles. tom. 3. Sæc. ul. 1. dissert. 15.*  
pag. 159. *Lit. F.* Non ergo fabulosis  
commentis haec translatio adscribenda  
est, quam constans plurium sæculo-  
rum fama, innumerorum populorum  
ad hæc sacra Apostoli Lipsana voti  
causa confluentium devotio, miracu-  
lorum copia, primaque notæ, ac fidei  
scriptorum testimonia celebrem fece-  
runt. Illud enimvero *fabula* est, quod

Corpus *S. Jacobi Minoris Compostel-*  
lam translatum sit, quem errorem no-  
stris assingere præter Boehmerum d.  
§. 26. h.t. Scriptorum haec tenus nemo  
ausus fuit. Sed ipse Tillemontius (ait  
Boehmerus) ut huic fabulæ fidem fa-  
ceret, ad miracula manifesta, quibus  
DEUS confluentis populi cultum ap-  
probavit, confugere necesse habuit.  
An ergo nullius roboris esse hoc ar-  
gumentum censes Boehmere? Linguo  
hoc miraculosum argumentum, respon-  
det. Cur ita? aut enim credis, mira-  
cula vera in confirmationem cultus à  
populo hujus S. Apostoli exuvii ex-  
hibiti fuisse à DEO patrata, aut infi-  
ciaris ea? si credis; quomodo de reali  
præsentia harum Reliquiarum in dicta  
Ecclesia Compostellana dubitare fas  
erit, quam Divina prodigia illustrant:  
stultum utique foret, postposito in-  
fallibili DEI testimonio, scriptorum  
(si qui tamen reperiantur) fidem hi-  
storicam, adeoque lubricam, & falli-  
bilem velle sequi, & amplecti. Sin  
vero non credis, miracula in confir-  
mationem devotionis populi ad hujus  
Sancti Apostoli Reliquias Compostel-  
lanas effusi unquam fuisse patrata, cur  
non impugnas? Cur linguis miracu-  
losum hoc Tillemontii argumentum?  
Ecce hic hæret aqua! Ad cætera tua  
Scommata refutationis loco moniti il-  
lius te memorem esse jubeo, quod  
suggerit Plutarchus in *Comment. de Cu-*  
*riosit. Intro converte curiositatem*, ait,  
*siquidem delectaris malorum tractanda*  
*Historia, domi tibi copiosa est materia.*

*Quantum ad Alizona aquæ est,*  
*folia,*

*Aut quot germinat illex:*

O o 3

Tan.

Tantam multitudinem invenies peccatorum in vita, & perturbationum in animo, & delitiorum in officio. Xenophon ait, iis, qui familiam probe administrant, suum esse reponendis sacrificiorum vas, suum Cœnæ, suum rusticorum, suum bellicorum instrumentorum locum. Tu quoque itidem habes reposita mala, quæ ab invidia, quæ ab obtrectatione, quæ à timiditate, quæ à sordibus illiberalitatis profiscuntur, hæc recense, hæc ordine considera. Fenestras, quibus in vicinam prospicis, & diverticula curiositatis occlude: alia aperi, quæ in clave tuum (in Ecclesiam tuam) ducent, ibi negotium inveniet non inutile, non malignum, sed conducibile & salutare cupiditas ista sciscitandi & agendi.

## TITULUS XXXV.

## De Statu Monachorum, &amp; Canonicorum Regularium.

**D**E Status Monastici, & Canonicorum Regularium rudimentis, incrementis, decrementis, variisque aliis factis, quibus uterque status per temporum vicissitudines objectus fuit, nobis, si Rubricam sequi placeret, agendum foret. Provinciam hanc occupavit Bœhmerus, qui in Commentario suo ad b.t. per 70. §§. Status Monastici Hierarchiam, ut vocat, prolixo calamo describit, quando Monachi cœperint subesse Episcopis, quando rursus eorundem Jurisdictioni eximi, fusi recenset. De Prælatorum variis gradibus, & præminentibus, item de Monasteriorum Advocatis agit. Multam, fateor, hic eruditionem concessit, multa vera, multa utilia scripsit, sed non pauca quoque falsa, spuria, apocrypha, mordaci aculeo inspersit; ut subinde hic quoque locum inveniat illud Philosophorum brocardicon: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Nos suo tempore, ubi majus otium naœti fuerimus, triticum à paleis separabimus. Interim duo nobis impræsentiarum præcipue tractanda erunt. I. De bonis temporalibus Religiosorum, & effectu voti paupertatis. II. De Clausura Regularium, præcipue Monialium. Cætera, quæ statum Religiosum concernunt,